


VARIAS IVRIS OBSERVATIONES,



PRAESIDE
D. LVDOVICO GODOFREDO MADIHN
P. P. E. ET F. L. A.
EXERCITATIONIS ACADEMICAE
CAVSSA

DIE XX. FEBR. MDCCLXXXI.

DEFENDET
NATANAEL KIKEBV SCH
REETZENA NEO-MARCHIVS.



Handwritten signature or mark.

TRAIECTI AD VIADRV M,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.



VARIAS ET
OBSERVATIONES

D. FREDERICO GODOFREDO MADINI

M. D. C. C. C. C.

EXERCITATIONIS ACADEMICAE

CAVSSA

DE CAUSA

DE CAUSA

NATANAEL KIRBYSCHE

ALUMNI

FRANCISCO MARIANO
E. GODOFREDO VESTERLINGO





OBSERVAT. I.

*Pecunia a conductore locatori etiam tradita in securitatem
mercedis soluendae in concursu creditorum compensari
in praeiudicium posteriorum creditorum nequit, ad-
uersus V. P. C. F. HOMMELIVM
et H. BECKERVM.*

CAerarium ciuitatis Altstrelitzensis locauerat praedium
quoddam conductori cuidam G. qui deinde in
concursum incidit. In securitatem mercedis
soluendae conductor 100. thal. constituerat eosque locato-
ribus tradiderat, de qua re sic erat in litteris locationis
conductionis conuentum. §. 8. *Ist der Pächter G. ge-
halten zur Sicherheit dieser Pachtung 100 Rthlr. Gold
Vorschufs an hiesige Cämmerey gegen Quittung zu prästi-
ren, welche 100 Rthlr. ihm demnächst bey seinem Abtritte
baar und in einer unzertrennten Summe wieder ausgezahlt
werden sollen.* §. 9. *Macht sich conductor G. willig und
wohlbedächtig anheischig diesen Vorschufs der 100 Rthlr.
die Pachtjahre hindurch zinselos stehn zu lassen und des-
halb auf keinerley Art eine Vergütung zu prätdiren,
welches von Seiten der locatorum feyerlichst acceptiret wird.*

Conductor G. ante motum concursum mercedem duorum annorum non soluerat, deinde bonis cedebat. Quo facto locatores hanc residuam mercedem quoad summam concurrentem compensare cum pecunia assicurativa volebant, curator vero bonorum eandem repetebat, utque ad communem massam in fauorem potiorum creditorum exhiberetur postulabat. Priores ad id prouocabant quod 1.) compensatio etiam in concursu obtineat, ipsoque iure fiat, et debitor rei fungibilis, immo pecuniae numeratae cum altero aequo debitore pecuniae numeratae secundum regulam compensare possit, 2.) quod haec summa C. thalerorum non tam pecuniae assicurativae (*Vorstand Gelder, Pachtvorstand*) quam potius mercedis praenumeratae indolem haberet, quodque illud 3.) exinde pateret, quod in cautione pecuniaria vsurae essent praestandae, in hoc autem casu secundum §. 9. instrumenti loc. cond. illae essent remissae. Hasque rationes confirmabant auctoritate Perill. Carol. Ferd. Hommelii (a) et Hermanni Becke-
ri

a) In *Rhapf. Tom. IV. obs. 378.* ubi ita: — vtrum is, qui ante motum concursum debitoris communis debitor erat, hoc suum debitum cum credito suo chirographario possit compensare in praedictum hypothecariorum? v. c. Locator praedii nobilis a conductore cautionis loco, quam *Pachtvorstand* germanice dicimus, quingentos acceperat, colonus vero mercede per multos annos non soluta bonis cedit, quo facto curator bonorum petit a locatore nobili, ut cautionem quingentorum, quam detinet ad massam soluat. Excipit nobilis non praestitae mercedis longe maiorem quantitatem sibi deberi, adeoque se compensare et in his D. ius retentionis exercere. Respondimus — hoc casu compensationi locum esse. Etenim cum compensatio obligationem ipso iure perimat §. 30. I. de act. L. str. C. de comp. L. 4. L. 12. C. ead. etiam in concursu chirographarium creditorem, si curator bonorum ipsum conueniat, exceptionem compensatio-

ri (b), sed Nos secundum intentionem curatoris bonorum respondimus. Nam quoad *Imam* rationem, negare quidem nunc non volumus, in concursu etiam creditorum locum habere compensationem inter debitorem obaeratum atque liquidantem, ita ut si ante motum concursum debitori obaerato creditor debere incipiat, positis compensationis requisitis, omnino debitum ipsum ipso iure sublatum sit. §. 30. *I. de act. L. 4. 12. 14. C. de comp. BERGER oecon. Jur. p. 883.* (quapropter etiam a LEYSERO in specie *sp. 174.* exhibita dissentiendum foret) attamen ut in hoc casu compensatio cessare debeat, principia de pignore, ex quibus haec species solum aestimanda erit, exigunt. Hos enim *C. Thaleros* tamquam pignus esse considerandos nemo non videt, et exinde probatur, quod tantum expresse in securitatem mercedis soluendae traditi essent, indeque nullo alio titulo quam titulo pignoris eosdem accepissent locatores. Recedit quidem ab ordinaria pignoris natura; quod in pecunia numerata consistat, sed ipsi essentiae non repugnat et hodie saepe obuenit, licet in *Iuris Rom.* ferie vestigium nondum inuenire licuit, nisi eo referre velis *L. 18. D. de pign. act.* Quod si igitur verum est locato-

A 3 res

nis opponere posse pronunciauimus, non obstante creditorum prioritare, modo debitor communis ante motum concursum liquidanti aliquid debuisset. Licet enim primo adspectu id fieri videatur in fraudem concurrendorum, tamen cum is qui iure suo vitur nemini iniuriam faciat et per compensationem liquidantis obligatio iam dudum veremta sit, recte dicimus, liquidantem nihil amplius debere etc.

- b) *Diss. de indole contractus locationi conductioni adiecti: assicuracionis eiusque pecuniae in concursu creditorum iure atque fauore, Rost. 1757.* (ita emendanda foret allegatio h. diss. in supplem. III. SCHOTTII.)

res fuisse debitores ex pignore, propterea quoque hoc pignus etiam si pecunia numerata obiectum illius sit, quae tamen in eo casu tamquam species considerari potest ac debet, ab iisdem, ut inde potioribus creditoribus prius satisfieret, exhibendum erat, quum Iure communi possessor rei oppignoratae nulla praerogativa prae reliquis anterioribus creditoribus gaudeat, potius in omni pignore vulgatum illud obtineat: *qui prior de tempore potior est de iure*, L. 10. II. 12. pr. et §. ult. D. qui pot. in pign. L. 4. 5. 6. 8. C. eod. Vid. Praesid. not. 551. ad MENCKENII libr. de act. forens. Eandem sententiam defendere dicunt AVG. BALTHASAR. (c). Neque dici potest ad illam rationem, eiusmodi pecuniam affecuraticiam indolem habere mercedis praenumeratae, quum 1. merces praenumerata ab ordinaria locationis conductionis regula quam maxime discedat eaque igitur nisi expresse sit constituta, adsumi nequeat, 2. quod in casu praenumeratae mercedis, huius restitutio finita conductione constitui non potuerit, quae tamen in nostro casu, uti semper fere, nominatim placuit, (*welche ihm demnächst bey seinem Abtritt etc.*) atque 3. nominatim quoque in securitatem mercedis solvendae et damnorum praestandorum data erat (*zur Sicherheit dieser Pachtung*) adeo ut neque 4. obtare possit verbum *Vorschuss*. quippe quae ambigua vox etiam cautionem (*Vorstand*) denotare solet, et in hoc casu secundum negotii gesti qualicet et contextum verborum, debet. Et sic quoad Illiam dubitandi rationem rem non mutat, quod usurae essent remissae, quum non necessario requiratur, ut pos-

c) Diss. de pecunia affecuraticionis in locat. conduct. praediorum soluta eiusque in concursu creditorum iure, Gryph. 1739.

possessor eiusmodi pecuniae cautionis loco traditae vsuras praestet aut in foenus exponat, quin potius inde natura pignoris magis magisque eluceat. Accedebat et in hoc casu, quod ipsi curatores aerarii ciuitatis totam residuam mercedem liquidassent ipsosque hos C. Thaleros tanquam cautionem professi essent.

OBSERVAT. II.

In translatione etiam rei litigiosae onerosae praestanda est euictio, licet pacto sibi non prospexerit accipiens, aduersus LEYSERVUM.

Fratres de Campen in communione rerum hereditiarum et feudaliū paternarum per aliquod tempus fuerant, vsque dum anno a 1703. diuisionem ita instituerant, vt praedia Kirchberg et Ildehausen, cum rebus pertinentibus coheredibus quibusdam pro certa summa, cederent, ex qua reliquis partes conuenientes constituebantur. Inter eas pertinentias, vt vulgo loquuntur, etiam ius braxandi expresse cum praediis ipsis transferebatur, quod a fratribus coniunctim partim propter bene merita, partim pro 2000 thaler. a Dominis territorialibus adquisitum erat. Ratione euictionis praestandae in conuentione diuisoria ad Ius commune expresse erat prouocatum. Mota autem tunc temporis iam erat lis ipsis fratribus diuidentibus super hoc iure braxandi a braxatoribus in Seesen et Gittelde, ita vt re vera res litigiosa translata esset, nondum tamen iudicis sententia aderat. In ea lite deinde post longas altercationes fratres de Campen succubuerunt, quo facto longo deinde intervallo accipientes euictionis praestationem postulabant a ceteris diuidentibus, eorumque heredibus. In
dua-

duabus sententiis conformibus actores reiciebantur ea praesertim ex ratione, 1. quod euictionis praestatio deficeret in translatione rei litigiosae, nisi pacto sibi prospiceret accipiens, et 2. quoniam pretium per auersionem tantum determinatum esset. Nobis autem contraria verior visa est sententia. Primum dicamus de priori ratione, de posteriori autem alia obseruatione. Regulam esse in omni translatione onerosa, bonae fidei accipientem a transferente damni reparationem exigere posse, ex omnibus fere fragmentis *Tit. D. et C. de Euiction.* satis superque adparet. Cuius dispositionis ratio in eo posita videtur, quod euictis rebus accipiens damnum patiatur, quod per ipsam translationem contingit, cuiusque igitur vitiosa sua translatione occasionem dedit transferens, qui alias idem illud perpeffus esset; in qua re illud magis ad transferentem, quam ad accipientem spectare debere naturali ratione crediderunt iuris Auctores. Ex propositione a nobis adlata statim liquet, eum, qui scienter rem alienam accipit, euictionem frustra petere, id quod *L. 27. C. de Euict.* confirmatum, simulque eidem necessitas imposita est pacto speciali eandem sibi conseruandi. Male autem argumento huius *L. 27.* etiam excipere vult LEYSERVS *Spec. CCXL.* emitorem rei litigiosae, adeo, vt is etiam pacto peculiari euictionis praestationem sibi reseruare deberet. *Obiicietur forsitan, inquit: pro sciente haberi non posse, qui pendente lite, cuius euentus incertus est, emit; sed ipsa haec incertitudo mouere debebat emitorem, vt pacto sibi prospiceret, quod, dum non facit, litis euentum emisse censetur, atque interpretatio contra ipsum, qui clarius loqui debuisset, facienda est.* Sed quod pace tanti Viri dixerim, sine omni fundamento
et

et praecario haec omnia contendit. Namque 1. emtor rei litigiosae utique in eadem bona fide constitutus esse potest, ac si nulla lis super ea re mota esset, neque adeo vlla ratione comparandus est scienti rei alienae emtori. Quod ad nostrum casum attinet, omnes certe diuidentes in optima fide tempore diuisionis erant. Quamuis enim, ut dictum est, iam eo tempore ius braxandi in lite versaretur, tamen propterea iustissime credere poterant, litem iniusta ratione esse inceptam, quum ab ipsis Principibus idem illud titulo oneroso accepissent, qua propter etiam ne quidem huius iuris tanquam rei litigiosae mentio, uti in alia re litigiosa simul translata, facta erat. Accedebat in hoc casu, quod diuisio rerum, licet litigiosarum, inter ipsos heredes omnino admittatur, neque sub alienatione rei litigiosae alias prohibita hanc diuisionem comprehendi iusserit Imperator *Nov. 112. Cap. 1.* et deinde quod omnis laesio inter heredes diuidentes reparanda sit, *L. 3. C. famil. erisc.* 2. Neque dici potest, hanc incertitudinem eiusmodi accipientem mouere debuisse, ut pacto sibi prospiceret, partim quia incertum non putauit, partim quia necessitas iuris deficit. Si quis enim in regula iuris generali sese fundat, a qua in dato casu exceptio facta non est, pacto speciali etiam non opus est; sed ad regulas tantum prudentiae pertinet. Quare si etiam concedere vellemus, litem omnem, adeoque et in hoc casu, fuisse incertam, inde tamen inferri nequit, accipientem necesse habere, ut euctionis praestationem nominatim petat. Hanc etiam ob rationem clarius loqui non debuit accipiens. Multo minus autem 3. litis euentum solum adquisuisse censendus est. Est praesumptio tantum **LEYSERI** legibus plane non agnita,

B

inde-

indeque inefficax, quae praeter ea intentioni omnium adquirentium quam maxime aduersatur. Neque ad aleam referenda est eiusmodi conuentio, quippe quae rem ante conuentionem plane non adesse, aut quam maxime quoad axistentiam incertam esse praeponit. Respondimus igitur his motis rationibus, adquirentes etiam a transferentibus exigere posse rei huius litigiosae alienatae, postea autem euictae, euictionis praestationem. Ceterum contentientes habemus BERGERVM in *Oeconomia Iuris Lib. III. tit. 8.* et STRVBEN *rechtliche Bedenken, 3ter Theil, Bed. 103.*

OBSERVAT. III.

Descendens eius, qui in renouatis litteris simultaneae inuestiturae prius nominatus est, propterea non praesferendus est ceteris in feudo succedere valentibus, praesertim in maioratu; sed ad indolem maioratus respiciendum, contra V. P. PÜTTERVM.

Mortuo anno 1778. *Georgio Antonio L. B. de Schuhlenburg Dynastiae Liberosae ultimo feudi possessore, extincta simul erat linea Achatii I. qui eandem tanquam maioratum primus acceperat. Varias super successione in hoc feudo oriebantur quaestiones, quas inter solum hoc loco eam tractabimus: quisnam inter plures adgnatos iure succedendi gaudeat? Adquisitum est hoc feudum illustrissimae genti Schuhlenburgianae a Comitibus Bohemicis de Sternberg per Richard I. de Schuhlenburg initio seculi XVI. Henricus deinde Ioachimus vltimus ex linea acquirentis, feudum hoc in maioratum conuertit, vt pluribus et indubitatim ostendit dispositio huius Baronis de Schuhlenburg,*

quod

quod STRYCKIUS tractatu suo *de caut. testament.* in Appen-
dice testam. p. m. 194. adiecit. Hac in dispositione Dy-
nastiam Liberosam Achatio I. reliquit; substituit autem illi
filium eius secundo natum Achatium II. qui vero ante pa-
trem mortuus feudum ex substitutione hac non acquisiuit;
potius patre Achatio I. mortuo, idem illud accepit filius
maior natu Leuin Ioachimus, et post huius mortem Hans
Georgius, quo defuncto eius filius, Georgius Antonius vl-
timus feudi nunc possessor succedebat. Reliqueratis autem
tanquam adgnatos superstites aequali gradu constitutos.
1. August. Frideric. Gottlob. ex linea Hannonis, 2. Fri-
der. Willh. 3. Ludouicum Herrmannum, 4. Ioan. Henri-
cum, 5. Levin Rudolphum, 6. August. Frider. 7. Wulf
Dietrich, 8. Wernerum, ex quibus 1mus, 2dus et 4tus
diuersis ex fundamentis singulus prae ceteris praeferentiam
exigebat. Quaesiti igitur, quisnam in Dynastiam Libero-
sam, ex dispositione Henrici Ioachimi indiuisibilem, ius soli-
tarie succedendi haberet, respondimus: quartum Ioannem
Henricum tanquam maiorem natu inter aequae proximis,
*quum in litteris inuestiturae nihil inueniretur, quod huic
successioni ob stare posset,* ex capite maioratus omnibus reli-
quis praefendum esse. Est enim successio ex capite ma-
ioratus ita comparata, vt proximior gradu excludat re-
motiorem, et inter plures gradu proximiores, maior natu
praeferatur (*d*). Diximus praesumendum esse, constituentem
Henricum Ioachimum idem sub maioratum intellexisse,

B 2

illu-

d) GOLDAST senior (sive de maioratu libr. III.) Lib. II. Cap. V. seq.
HOMMEL Acad. Red. Cap. X. §. 32. MOELLERI. *Vsus pract. dist. fund.*
Cap. XVI. Dist. VI. G. L. BOEHMERI *Pr. Iur. feudi Lib. I. Sect. I. Cap. IX.*
§. 152. F. L. COMES in SOLMS et TRECKLENBURG *Disp. de maioratu,*
Lipf. 1729. §. 19. LOBETHANS *Abhandlung von der Erbfolge.* §. 245.

illudque etiam ex eo adparere, quod solum *nächste Vetter* vocauerit, et quod disposuerit, inter filios possessoris semper maiorem natu praeferi debere, verbis hic commemorandis: *Es soll aber diese Herrschaft allezeit nach Achatii jun. Tode DEM AELTESTEN DES POSSESSORIS SOHNE alleine, oder da keine wären, SEINEM NAECHSTEN BRUDER, bis diese Linie ein Ende hat, zufallen etc.* secundum quam dispositionem etiam Dynastiam 1667. acceperat Levin Ioachim, et post hunc Ioh. Georg.

Eo autem tempore, quo Dynastia Liberosa ad Levin Ioachimum perueniret, inter dominos feudi, scilicet Comites de Sternberg et vasallum controuersia agitabatur de neglectis a vasallis domino feudi praestandis, adeo vt reuocatio et priuatio feudi immineret, quam iacturam tamen possessor Levin Ioachimus per nouam agnitionem feudi et inde 1688. subsecutam quasi ex noua gratia inuestituram declinabat. Sed hac noua quasi inuestitura modus succedendi quoad hunc casum plane non mutata, sed potius ea succedendi ratio, quae ex dispositione Henrici Ioachimi obtinere debebat, seruata et repetita erat, praeterquam quod in litteris inuestiturae primis, proximioribus adgnatis quibusdam post certos alios deum ius succedendi vi simultaneae inuestiturae tribuatur. Inter ipsos autem adgnatos deinde in recessu 1710. confecto expresse, et plus vna vice qualitas huius Dynastiae maioratica, si ita loqui fas est, vt et dispositio Henrici Ioachimi ab omnibus et singulis agnita erat. Quare etiam in Responso nostro diximus, nihil in litteris inuestiturae reperiri, quod successionem alias in maioratu consuetam aliter quoad hunc casum determinare possit.

Sed

Sed cognouimus deinde, Virum Perillustrem 10. STEPHAN. PÜTTERVM in singulari responso, in alia omnia abire, et successione solitariam vnice 2do scilicet Friderico Wilhelmo tribuere, propterea quod in litteris nouissimis de a. 1727. huius pater prae ceteris nominatus esset. In hoc enim instrumento tanquam simultanee inuestiti nominati erant: I. Hans Georgius proximior quidam ex alia linea, qui vero deinde per mortem a successione impeditus est. II. Dieterici Herrmanni filii, a, Achatz, b, Levin Dietrich, c, Werner. III. Caroli Friderici filius, Carl. Heinr. Achatz. IV. Adolph. Heinr. et George Werner, simulque ibi adiectum est: *Belangend die künftige Succession, ist selbige also zu verstehen, das nach Ableben des jetzigen Herrn Lehnbesitzer, wenn dessen männlicher Lehn-Stamm abgehen solte, alsdenn erst obangeführte Mitbelehnte und deren Leibes-Lehnerben in vorbebeschriebener Ordnung nach und nach dazugelangen sollen.* Vir igitur Perillustris opinatur secundum haec verba, etiam descendentes Achatii praeferrri debere descendantibus τs Levin Dietrich et Werner, trahitque illud in *vorbeschriebener Ordnung* etiam ad verba *deren Leibes-Lehnerben.* Sed 1. palam omnino est illud in *vorbeschriebener Ordnung* solum ad IV Classes simultanee inuestitorum referendum atque descendentes vnus in priori classe positi praeferrandos esse reliquis in posteriori classe positis; non autem 2. vlla vnquam ratione ad descendentes vnus classis adplicandum esse, quippe quo lineae cuidam praerogatiua tributa, simulque adeo primogenitura introducta esset, quod vero cum maioratu et saepius etiam in litteris obuienti — *der nächste Vetter, der nächste Bruder* vehementissime pugnat; quum tamen 3. vt



iam dictum est, tam in ipsa inuestitura ex noua gratia, quam in ipsa transactione inter adgnatos 1710. inita expresse haec Dynastia secundum dispositionem Henrici Ioachimi tanquem maioratus adsumta sit, 4. Pertinet etiam formula *in vorbeschriebener Ordnung* ad solos in inuestitura nominatos; non autem inde factum est, vt ex nepotibus Dietrici Herrmanni, filius Achatii primogeniti vllam praecedentiam prae descendentibus Levini Dieterici et Wernerii habere debeat. Id exinde iam adparet, quod haec clausula in prima inuestitura ex noua gratia non obueniat; sed potius ibi expresse dicatur — *und im Fall auch derselbe keine männliche Leibes-Lehnserben nach sich lassen sollte, auf den nächsten in der Mitbelehnenschaft mitbegriffenen Geschlechts-Vettern*; itaque demum postea in ceteris renouationibus irrepit eadem, vt scilicet indicaretur secundum classes simultanee inuestitorum ab initio factas, successionem ex hac communi manu obtinere debere, et, vt admodum probabile est, ad aperte excludendam lineam Leibnitianam, s. r² *Carl. Frider. auf Leibnitz* iam aliquoties descendentibus Dietrici Herrmanni postpositam, ex qua linea nempe 1710. iam contra reformatum, et a maioratu recedentem ordinem succedendi protestati erant Fridericus et Haubold von der Schuhenburg. Accedit et hoc, quod in litteris inuestiturae de a. 1710. speciatim expressum inueniatur — *so aber darum geschehen, damit der gradus feu ordo futurae ipsis competentis successionis, indessen zu bessern Gedächtnis beybehalten bleibe*, ex quibus clare adparet in litteris inuestiturae renouatis neminem ius succedendi accepisse, si illud ex antea actis non iam habuerit. Quodsi autem 5. vera esset Viri Perillustris sententia, etiam
in

in eo casu, si post mortem Georg. Anton. ex Achatio antea defuncto Frid. Willh. superfuisset, hic excludere debuisset Levin. Dietricum et Wernerum, quod tamen saepius obuenienti *nächsten Geschlechts-Vertern* e diametro repugnat. Quae cum ita sint, si Frid. Willhelmus nulla vnquam ratione praeferrí potuerit Levino Dietrico et Wernero etiam nulla vnquam ratione praeferrí potest descendentibus eorum, saltem non propter rationem PÜTTERI, scilicet quod eius patris prima mentio facta esset in litteris inuestiturae, quae prima mentio ideo solum facta est quoniam inter filios Dietrici Herrmanni primus natu erat. Sed largiamur aliquando Viro Perillustri, verba adlegata id, quod contendit significare, quod nunquam concessuri sumus, tamen nostra sententia firma erit. Nam 6. vt omnibus notum, sequentibus litteris inuestiturae nemo potest ius acquirere aut amittere, quod aut non habuit, aut habuit ex prima iam inuestura (e): quare omnino negamus, ius quaesitum maioris natu in nouissimis litteris inuestiturae vlla ratione adimi aut mutari potuisse, indeque etiam minime ex hisce postremis instrumentis deciso huius casus vt putat V. I. desumenda erit. Iam vero ex dispositione Henrici Ioachimi, ex inuestitura noua, ex recessu de anno 1710. semper haec Dynastia pro maioratu habita est, adeoque et nunc habenda foret, etiam si litterae inuestiturae nouiores aliud continerent, quod tamen semper negabimus. Bene autem 7. in dubio litteras inuestiturae nouiores ita interpretari debemus, vt cum prioribus et antiquiori beneficii forma conueniant (f), quare hoc et in casu

nostro

e) GE. LVDW. BOEHMER *Princip. Iuris feud. Lib. I. Sect. I. Cap. XII. §. 2. et ibi cit. auctor.*

f) IO. GOTTL. SIGEL *Tract. de lit. inuestit. Cap. IV. et V.*



nostro eo magis adplicandum est, quo magis 8. ex renouata inuestitura nouum ius non acquiritur, sed renouata solum simultanea etiam inuestitura ad conferuationem iuris iam quaesiti vnice tendere possit.



I.

Ex §. 4. *I. de usufr.* et *L. 4. D. de alim et cib.* non defendi potest communis diuisio domini in plenum et minus plenum. Optandum certe esset, vt ea tota derelinquatur, quippe quae solum confusionem parit et naturae domini repugnat.

II.

In emphyteusi saltim priuata emphyteutae nullum dominium fundi comperit vid. *L. 1. 2. 3. C. de iur. empb. L. 7. §. 6. C. de praeser. 30. ann.*

III.

Recte igitur thesaurum tanquam accessionem, ad emphyteutam pertinere negat *Buri ad Schilt. 4te Fortf. p. 168.*

IV.

Ridiculum autem plane non est si quis cum Iustiano dicit meliorationes alienare, et ius emphyteuticarium in alium transferre.

V.

Distinctio communis delictorum in vera et quasi delicta prout vel dolosa vel culposa sint fundamento legali distituitur.

VI.

Non omnes contractus bilaterales nominati erant bonae fidei, nec omnes contractus nominati vnilaterales erant stricti iuris. Omnes autem contractus innominati fuerunt b. f. contr. Sed haec omnia in foris nostris nullius momenti sunt.


VII.


Interest omnino an depositum irregulare fit, quod negari nequit.


VIII.


In contemptum Iuris naturalis tendit, si dicimus illud esse philosophiam de iure.











AB 155 199

ULB Halle

004 841 417

3



TA → 01

09.2001 GJ,





AS IVRIS ATIONES,

RAESIDE
DODFREDO MADIHN

ET F. L. A.

NIS ACADEMICAE
LVSSA

R. MDCCLXXXI.

FENDET

KIKEBVSCHE

NEO-MARCHICVS.



Handwritten signature

AD VIADRVM,
EO WINTERIANO.

Inches
Centimetres

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Light Blue	Light Green	Yellow	Light Red	Light Magenta	White	3/Color	Black
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	Black	Black	Black

